



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XIV. Non esse alicui dandam ecclesiam intuitu operae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179. diaconum & clericum ob illam causam tam iniquam & detestabilem promissam rem accepisse: aut si exinde confessi fuerint in iure, vel legitime possunt ab aliquibus conuinci, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi. Si vero id manifestum non est, nec inde conuicti vel confessi fuerint, & tamen postea laborant infamia, eis canonica purgatio debet indici: in qua si defecerint, tamquam tantum sceleris autores sunt puniendi. Regem autem & principes suos solite monere debes, & diligenter inducere, ut si qua reperirent a praefato episcopo, ut eius electioni praestarent assensum, ecclesiae. \* Ceromensi sine diminutione restituant, cum ea sine graui salutis sua periculo retinere non possint.

C A P. XIV.

*Idem Eboracensi archiepiscopo scilicet legato.*

Cum essent in praesentia nostra constituti R. clericus de Ponte fracto, & nobilis vir VV. filius Godrici, pro controuersia quæ vertebatur inter eos super quadam ecclesia, quam idem R. asserebat a praefato milite sibi datam fuisse: praedictus VV. qui moram diutius facere non poterat, in recessu suo dilectum filium nostrum magistrum Milonem nuntium suum, pro se in causa illa sufficientem responsalem constituit. Cumque causæ cognitionem dictis filiis nostris M. presbytero tituli sanctæ Lucia, & VV. tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali commissemus, ipsi vtramque partem ante praesentiam suam conuocarunt, & ab ore praefati R. intellexerunt, quod praefatus miles promiserat ei dare præscriptam ecclesiam, si quoddam negotium eiusdem militis posset in curia nostra promouere. Vnde & cum id nobis per eosdem cardinales innotuisset, nos intelligentes promissionem illam simoniacam continere prauitatem, eidem R. super ecclesiam silentium imposuimus. Ideoque fraternitatem tuam, &c. quatenus memoratum militem occasione praedictæ controuersiæ a prænominato R. vel aliis super scripta ecclesia grauari vel inquietari nulla ratione permittas.